

mendi audita pro confessione S. Leo *regulam Apostolicam* appellaverit. Afferre solebant adversarii etiam testimonium can. 99. et 100. ex Conc. Africano, relatum c. *Placuit*. 6. q. 2. unde videtur Episcopo licuisse revelare crimen, sibi in confessione manifestatum. Sed de confessione sacramentali sermonem ibi non esse, non Glossa tantum animadvertit, sed inde etiam patet, quod initio canonis dicatur: *si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen esse confessum*: inutilis enim foret particula, *soli*, si ageretur de confessione sacramentali, cum nemo nesciat, hanc uni soli fieri, non autem pluribus. Deinde ibidem agitur de crimine, de quo aliis documentis deberet Episcopus convincere reum, cujus convictionis defectu repellitur Episcopi testimonium: at non potest aliis documentis probari, quod ex solo sacramento confessionis cognoscitur.

310. *Obj. III.* Qui confitetur, se cum hoste conspirasse in perniciem civitatis, aut hæresin voluisse inducere, aliamve corruptelam morum, nec ipsum mali propositi ita poenitet, ut absolutionis sacramentum possit recipere, indignus quoque videtur, qui sub hoc secreti servandi beneficio impunis lateat; ergo potest sacerdos ista consilia prava detegere, quo saluti publicæ consulatur. *Ant. prob.* Tenetur sacerdos talem confitentem abstergere a scelere meditato, eumque adigere ad detegendas pravas hostium aut sociorum machinationes, si aliter cædes innocentum, aut reipublicæ calamitas averti non possit; ergo idem poterit sacerdos ipse præstare, abnuente altero vel negligente. Ita non pauci Jurisconsulti cum Panormitano, qui ad suas partes adsciscunt etiam Innocentium IV.

R. Trans. Ant. N. Cons. Ut confessio sigillo muniatur, opus non est, eam absolutione statim dignam esse: siquidem et laico facta confessio in periculo mortis, secundum omnium judicia, eodem silentio premenda est, quo legitimam confessionem premi oportet, quamvis illa absolutionem non obtineat; in c. *Qui vult confiteri*, de poenit. d. 6. Deinde si confessio nondum sat contriti et dispositi, absolutione perfici tunc nequeat, sacramenti tamen materia eadem evadit, cum primum comminuta duritie, succedenteque vero dolore cum proposito, absolutione divina informatur. Denique constat ex leg. *Qui condemnare*, ff. de re judic. etc.; *Cum inferior*, de major. et obed., ejusdem rationis esse ac fori, cognoscere causas ad condemnandum, cujus est, eas indagare ad absolvendam. Hinc illud Joan. 20. v. 23. *Quorum remisistis*, etc. S. AMBROSIIUS L. 1. de Poenit. c. 2. inquit, *par jus et solvendi esse voluit et ligandi*. At si manifestatio peccati, sufficiente dispositione prædita, sacerdoti præbet causam absolvendi poenitentem; profecto ejusdem peccati confessio cum animo non satis ad accipiendam absolutionem disposito, imponet sacerdoti necessitatem, ita male affectum condemnandi, seu retinendi ejus peccata, dum ei negat aut differt absolutionem. Sicut ergo utrobique cognoscit peccata ut minister Dei et Christi vicarius: ita ex ratione pari et lege divina severissima stringitur ad reticendum omnia utriusque confitentis peccata. Innocentius autem IV. hanc ipsam sententiam nostram evidentiam enuntiat. Nam postquam vir doctissimus, commenta retulisset, mox ita decidit: *Hæc ratio non placet, quia bene credimus, quod ut minister recipiat, etiamsi in peccato remanere proponat.*

Inst. 1. Bonum publicum antecellit privato: atqui sigillum sacramenti cedit tantum in commodum privati confitentis; ergo cum sacerdos prævidet, imminere ingens detrimentum Ecclesiæ aut reipublicæ, tenetur lege divina secretum confessionis pandere.

R. N. min. Lex sigilli hujus non privatum duntaxat poenitentis bonum, sed totius Ecclesiæ commoda, sacramenti a Christo instituti reverentiam et securitatem, omnium denique fidelium utilitatem spectat: malumque quod ex violatione sigilli in universam Ecclesiam redundaret, majus est, quam commodum ex casu quodam rarissimo exspectandum. Ita Honoratus Turrelius in tract. de sacram. Poenit. ad quæst. quam arcta sit lex et obligatio sigilli Poenit., Martinus Grandin disp. 1. de Poenit. c. 4. a. 3. sect. 1., Estius in 4. dist. 17. §. 14., Ludovicus Habert tom. 6. c. 9. §. 7. q. 4. omnes socii et Doctores Sorbonici, alique tam ex Clero, quam ex ordinibus religiosis, qui in luce Academiæ Parisiensis doctrinam istam tuentur. Unde apparet, quam mala fide Bœhmerus L. 5. Jur. Eccles. Protestant. t. 38. §. 50. appellet hoc dogma *Jesuitarum*, quod etiam saniores inter Catholicos horreant. Nec enim Jesuitæ hoc primum excogitarunt: siquidem Navarrus in c. *Sacerdos* cit. et alii veterum ingentem turbam Cardinalium, Episcoporum, aliorumque Theologorum et Jurisconsultorum recitent, qui sententiam istam, de non vulgando confessionis arcano quacumque de causa, jam ante tradiderant, quam Jesu Societas conderetur. Ac tot insignes viri in Gallia aliisque regnis doctrinam eandem etiamnum tenent.

Inst. 2. Arcetissima hæc sigilli sacramentalis obligatio non nisi in principum ac reipublicæ perniciem cedit; ergo non potuit a Christo præcipi. *Prob. Ant.* Parricidæ regum, alique in res novas intenti funesta consilia sua sacerdotibus pro confessione aperiunt: hi vero nefas sibi ducunt, illorum quidpiam ad Magistratus deferre. Foventur ergo parricidia et conspirationes, ipsique sacerdotes a crimine proditoris et majestatis excusari non possunt. Ita Joan. Dallæus Minister Calvinista, et cæteri Protestantium, quorum nonnullos adducit Bœhmerus nuper cit.

R. N. Ant. Ad confirmationes ejus respondet Cardinalis Perronius in responsione ad regem Britannicæ, c. 6. observ. 2. pag. 563. *Qui regum securitati consulere se existimarunt, opinionem illam vulgando, quod confitentium revelare possint peccata confessarii, si sit læsæ majestatis crimen, ii contrarium ejus, quod se præstituros sperabant, effecerunt. Ut enim de ejus opinionis ad finem quem intendunt utilitate, dicere omittam, ut semel vulgata erit; quia nemo crimina læsæ majestatis in confessione aperiet, vel aperire tenebitur, cum eos confessionem suam revelare, vel se ad regem vel ejus ministros, ut majestatis reum deferre licere noverit: ut, inquam, de hoc sileam, illi reges duobus subsidiis, commodisque privant longe maximis, que in eos possunt ex confessione redundare. Primum in eo positum est, quod confessarius possit, et sub pena damnationis teneatur confitentem reum a nefariis hujusmodi consiliis divinorum judiciorum terrore, et absolutionis denegatione avertere. Alterum in eo positum est, quod sacerdos principem monere possit, et debeat, ut sibi caveat, eumque de conjuratione in ejus personam inrita facere certiore; hoc est, non confitentem nominatim et in individuo indicare, sed ex confessione notam generalem: non reum prodere ac*

revelare, sed crimen. Hactenus Card. Perronius, qui deinde refert, Henrici IV. Franciæ et Navarræ regis vitam a Barriero cujusdam nefaria machinatione beneficio confessionis fuisse servatam.

Inst. 3. Ipsi Pontifices Romani sigillum confessionis relaxant; ergo non tam arcta videtur esse ejus custodia. *Prob. Ant.* Pius IV. constitutione edita an. 1561. et Gregorius XV. an. 1622. mandarunt confessariis, ut suos penitentes, quos noverint, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, inquisitoribus seu locorum Ordinariis, etc. Vid. Bullarium M. tom. 2. p. 43. n. 31. et t. 3. p. 432. n. 43. Inde Bœhmerus sup. cit. §. 43. concludit, per indirectum sigillum confessionis pandi: quamvis enim confessionarii ita non reveleant arcana, cogunt tamen penitentes feminas, ut semetipsas prodant judici, et factum sacerdotis denuntient. Editas a Pio IV. et Greg. XV. constitutiones confirmavit Bulla promulgata an. 1741. quæ incipit: *Sacramentum Poenitentiae.*

R. N. *Ant.* Sacramentale confessionis sigillum poenitentibus non est commissum, neque hosce ejus obligatio stringit, quorum gratia tantum sacerdotibus fides hujus arcani est demandata. Non ergo per indirectum fieri potest, ut sigillum confessionis pandatur, ubi nulla est sigilli obligatio. Nam si nulla sacri sigilli obligatio oritur ex confessione, quam constat factam animo inducendi ipsum ad peccandum: multo minus femina sacerdoti obstringetur ad sacri arcani fidem præstandam, a quo scit, se ad flagitium in ejusdem mysterii administratione invitatum. Equidem poenitentes jure naturali obstringuntur ad celandum omnia confessarii dicta, quorum evulgatione juste possit offendi, quod non Catholici modo cum Paludano, Adriano et Navarro tradunt, sed ipsi quoque Protestantes fatentur: verum hoc ipso maledicentia horum hominum declaratur, qui SS. Pontificum constitutiones tanquam iniquas proscindunt. Nam ipsorummet judicio, jus naturale non obligat ad servandam secreti fidem personæ particulari cum periculo communitatis: ait enim Bœhmerus §. 47. *tam latum ambitum sanctitati hujus sigilli a suis non dari.* Neque in eventu tali locum habent, quæ Matth. 18. v. 15. Dominus præcipit: *Corripe eum inter te et ipsum solum:* magistratui enim ecclesiastico aut civili deferendos esse, qui seductione aliave prava machinatione in perniciem publicam clam grassantur, nemo adversariorum negabit. Quanta autem fidelibus damna, quantum Ecclesiæ periculum imminet, si sollicitatoribus istis tectis esse liceat, non opus est hic demonstrari. Igitur cum SS. Pontifices, queis Christus in Petro *agnos et oves* credidit Joan. 20. saluti publicæ memoratis constitutionibus consulant, iis confessionis sigillum ex obliquo minime petitur: siquidem sigillum sacramentale laicis non est commissum, naturale autem in dato casu neminem stringit; cum e contra præter naturale secretum, sacerdos sacramentalis etiam sigilli fide inviolabili teneatur. Hinc quomodocumque rogatus, an poenitens certum peccatum fuerit sibi confessus, si aliter quæsitores eludere non possit, tuto negabit: *homo enim non adducitur in testimonium, nisi ut homo, et ideo absque læsione conscientie potest jurare, se nescire, quod scilicet tantum ut Deus,* inquit S. Thomas supra citatus.

Inst. 4. Potest S. Pontifex certis de causis veniam voti aut jurisjurandi dare; ergo eadem auctoritate cum salus publica exigat, poterit arctam

sigilli sacramentalis obligationem relaxare. *Antec.* est Theologorum communiter, 2. 2. q. 88. a. 10. et q. 89. a. 9. Habetur etiam in SS. canonibus, c. 1. et 2. et c. *Verum*, de jurejurando, et c. *Magnæ*, de voto.

R. N. *Cons.* cum iisdem Theologis et Jurisconsultis, quibus etiam, mutata sententia, accedit Ostiensis. Neque enim Papa super scandalo dispensare potest, nec mandare, ut non obstante scandalo fiat aliquid, quod lege Dei non est necessarium. Id quod observavit Innocentius IV. in c. *Inquisitioni*, de sent. excom. et Panormitanus, in c. *Cum teneamur*, de præb. diserte monens, non esse obtemperandum Papæ, si scribat: *non obstante scandalo*, ob defectum potestatis. Jam vero si juxta S. Gregorii mentem, percepta in confessione revelare, etiam *scandali declinandi causa*, nequaquam licet; sequitur evidenter, multo minus posse Pontificem relaxare legem de non violando sacro sigillo, quam super scandalo queat dispensare.

Nec refert, quod Papa in voto ac juramento possit dispensare: ad hanc enim moderationem adhibendam justæ causæ ac necessitas ipsa quandoque urgent. Quanquam nec sic quidem Prælati, dispensando in voto, dispensat in præcepto juris naturalis vel divini, sed sua auctoritate facit, ut quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu non esse congruam materiam voti. Ita similiter argumentatur S. Thomas nuper cit. Ubi idem, et post ipsum Adrianus advertit, quod qui vovet, quodammodo sibi legem statuat: nemo enim adstringitur ad juramentum aut votum sine animo se ipsum obligandi: quare etiam dispensatio voti se habet ad modum dispensationis, quæ fit in observantia alicujus legis; lex autem fertur respiciendo ad id, quod est ut in pluribus bonum. E contra ad servandam secreti sacramentalis fidem sacerdos, aut si quis etiam alius, sine facto suo devincitur præcepto divino, quod consequitur ipsum sacramentum: cujus quidem præcepti laxandi nulla causa sufficiens excogitari potest: neque enim malum tam grave occurrit, quam sacri secreti vulgatio, quo confessio Christianis omnibus suspecta et abominabilis evaderet.

Sanctitatem hujus legis suæ Deo placuit miraculis confirmare, dum linguam S. Joannis Nepomuc. pro asserendo hoc sigillo anno 1383. interempti immunem adhuc a corruptione tot seculis in diem præsentem usque servavit. Ex vitis etiam Patrum refert Altisiodorensis 4. p. c. de confess. cum quidam in navi metu mortis publice confessus esset crimina permulta, cæteri omnes, qui eadem in navi audierant, sic omnium continuo fuisse oblitos, ac si illorum notitiam nunquam percepissent. Sed annon hoc maximum miraculum, quod cum tot sint sacerdotes, quorum nonnulli vitæ profligata, aut versi in amentiam, tamen rarissime visum sit sacram sigillum periclitari? Quod si nihilominus unus et alter tam grandi sacrilegio sacra mysteria profanarunt, eos per Episcopum sacerdotio exauguratos magistratus politicus aut gladio muletavit, aut laqueo suffocavit, et processu pronuntiatio irrita, tam impie proditos poenitentes dimisit impunes, donec aliunde venirent indicia legitima, prout contigit Venetiis teste Feliciano, de degradatione, c. 14. et apud Tolosates ann. 1579. ut recenset Theophilus Rainaudus in Prato Spirit. scilicet in Ceturia historiar. tom. 17. oper. n. 13. ac Constantinopoli sententiam Patriarchæ Græcorum ratam habentibus magno Vezirio et Muphthio summo Turcicæ superstitionis antitiste. Tanta

sacro isti arcano exhibetur reverentia non a Catholicis tantum magistratibus, sed etiam a Mahumetanis.

Quanta autem fide tam a clero Protestantium, quam a magistratu civili colatur, ostendit Gobatus, hic n. 778. et seqq. ubi ait, *virum quemdam, qui filium veneno sustulerat in pago quodam; in altero vero mulierem aliud crimen capitale patribus suis spiritualibus prædicantibus bona fide clam confessos; ab his vero Præfecto denuntiatos, capitali supplicio piam simplicitatem luisse.* Exemplum aliud profert Bœhmerus l. c. tit. 38. §. 48. ubi queritur, Annam Nizelin, quæ solatii causa adulterium Pastori suo Lutherano cum multa poenitudine confessa privatim fuerat, ab hoc ad magistratum delatam: et supplicio fuisse addictam nulla habita ratione responsi, quod Jurisconsulti Hallenses ad hunc casum reddiderant an. 1694.

DISPUTATIO III.

DE SACRAMENTO UNCTIONIS EXTREMÆ.

*Decretum concilii Florentini de Extrema Unctione sub Eugenio IV.
an. 1439. pro Armenis.*

Quintum sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est; in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc.* Et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos: Effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

*Canones concilii Tridentini de sacramento Extremæ Unctionis, Sess. 14.
die 25. Novembris an. 1551. sub Julio III.*

I.

Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.